AN MILIARIA PRIMARIA ET A FOMITE CONTAGIOSO SINT NEC NE...

Emilio Parravicini, Bartolomeo Panizza

AN MILIARIA PRIMARIA ET A FOMITE CONTAGIOSO SINT NEC NE

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

ANNUENTIBUS MAGNIFICO DOMINO RECTORE

ILLUSTRISSIMO FACULTATIS DIRECTORE, SPECTABILI D. DECANO

AC CLARISSIMIS D. D. PROFESSORIBUS

AUSPICE

BARTHOLOMÆO PANIZZA

ANAT. HUM. PROF. O.

UNA CUM ADNEXIS THESIBUS DEFENDENDIS

PUBLICAE DISQUISITIONI OFFEREBAT

IN C. R. ARCHIGYMNASIO TICINENSI

MENSE SEPTEMBRIS MDCCCXXXI

LAUREAM MEDICAM ASSECUTURUS

ÆMILIUS PARRAVICINI

GRABEDONENSIS.

—

Ticini Regii

EX TYPOGRAPHIA BIZZONI

I. R. Universit. Typograph.

DOCTORI

FRANCISCO CASORATI

PATHOLOGIAE GENERALIS ET MATERIAE MEDICAE

OLIM PROFESSORIS VICES GERENTI

IN RE MEDICA VERSATISSIMO

IN DISCIPLINIS THEORETICIS ATQUE PRACTICIS

EXCULTO

IN QUOS HABUIT DISCIPULOS

AMORE NEMINI SECUNDO.

Si unicuique, quibus tot adstrictus sit beneficiis, cor reserare dulce, id dulcissimum nunc mihi. Dies terque quaterque felix, qua nobilioribus jam jam antea pectore inclusis sensibus, qui virtuti, atque benevolentiae debentur, coram omnibus tandem effluere licet! Talia, tantaque sunt, quae me Tibi compingunt, grati animi sacra vincula, ut nec annorum vim, neque remotarum regionum influxus insculptam rerum recordationem nunquam deletura esse, sacramentum faciam. Etenim primas bonae Pathologiae auras a Te hausi; neque aliam tradere is poterat, qui Clinicam omnium systematum pathologicorum inutilitatem evincere; juvenes contra hypothesium illecebras, faciles eorum mentes capere solitas, mature firmare, et experientiam analytica, et inductiva ratiocinatione illustratam, utpote filum Ariadnaeum, quo medias inter pathologorum ambages et controversias tuto duci queant, continuo iis proponere studebat. Quidnam vero, cum Arabico laborarem morbo, de officiosis, ac fere dicam paternis curis, de navitate, de pro aegra solertia, dicam, quin rubore munerum haud levidense pondus sentiam. Hoc, qualecumque sit, serena fronte accipe, grati animi pignus: plura dicarem, si plura possem. Si mens inepta, ardens est cor. Hae sunt debitoris voces: auscultare, quaeso, non dedigneris.

Tuarum Virtutum admirator

Æmilius Pallavicini.

AN MILIARIA PRIMARIA ET A FOMITE CONTAGIOSO SINT NEC NE

Neophyti medici facinus se complicitos gordianos nodos resolvere, et lites, semper et adhuc medicos magni nominis inter scriptoresque exagitatas explanare accingentis, tamquam Icarus volatus, impudentia foret. Ast, quod juveni medico huc illuc Summorum spartas ideas, sententias, facta, corollaria colligere liceat, nemo inficias ibit. Quamobrem analytice, atque singillatim doctas perscrutando pagellas, sub paucorum acuminis granorum auspiciis, alias cum aliis comparando opiniones, has cum illis nitendo contestationes, haud difficile erit propriam periclitari sententiam, factis semper et aliorum auctoritati confisam. Nec aliter ille, qui praxi, experientia, et annorum maturitate caret, se habere potest, nisi apis Idaei adinstar, succosos avide medicorum voluminum calices et flores exsugens. Nunc, Lector benevole, forsan, si ego, ducibus Scientiae Coryphaeis, nisi componere, saltem inter se pugnantia capita de

morbo miliari conciliare, vel diagonalem ex oppositis cardinibus ducere, totis nervis nitar, non amplius miraberis. Hujus dissertatiunculae propositum est de binis agere thesibus nondum a scriptoribus resolutis: *an morbus miliaris sit nec ne essentialis*, *et*, uti ajunt, *autonomus primarius*; *an sit nec ne contagiosus.*

Hoc opus, hic labor. Prima cum altera tam stricte jungitur quaestio, ut de his conjunctim disserere fas sit.

Sub oppositis signis acriter inter se adhuc certant auctores; alteri contagionem miliaris sub meridiana luce ponere omni animo student: alteri vero contagionis fictitiam hujus cutaneae efflorescentiae ideam declarare, atque e foro medico explodere omnino conantur. In agmine primo *Allionius*, *Burserius*, *Tissot*, *Molinari*, *Quarinius*, *Brera*, *Rayer*, *Ramati*, *Speyer*, et plurimi alii auctoritate fulgent: stant in secunda cohorte *Sagarius*, *Haenius*, *Stallius*, *Hildenbrand*, nuper *Pollinius*, aliique nosologi plures. Ipsum Petrum *Frank* hac super re undabundum esse, sua docent scripta.

Omnes mox recensiti auctores, morbum, circa cujus naturam et characterem adeo dissentiunt, in propria praxi mox sporadicum, mox epidemicum observaverunt. Ne itaque sola auctoritate, quae utri parti sit major, probe nesciremus, ducti videamur, argumenta, quae utrinque ad propriam

tuendam sententiam producuntur, sine partium studio examinare curabimus, ut suum cuique pondus aequa lance pro virili parte concedatur.

Et in primis Viri gravissimi sententias exponemus, cunctas fere illorum, qui contagiosae et essentiali exanthematis miliaris indoli adversantur, rationes, veluti in nuce contractas, exhibentes. Ill J. P. *Frank* licet contagiosam miliarium epidemicorum naturam negare non audeat, propriam tamen, et specificam, ut in variolis, at morbillis, agnoscere nescit. Sporadicorum autem, utpote quae — a causis saepe manifestis sunt — per insitionem in alios non propagantur — tempus quo erumpant, et dispareant non habent — characteristicis ubiqua symptomatibus non meedunt — pluribus et inter se diversis affectubus adsociantur — non una sed repetita expulsione efflorescunt — et critica quandoque evadunt, causam non in specifico quaerendam esse viru, nec morbum sui generis, nec febrim sibi propriam ipsa generare, arbitratur.

Cl. *Hildenbrand Haenii* sententiam sequens, sporadica aeque ac epidemica miliaria morbum ubique secundarium, symptomaticum, et accidentalem, nunquam primarium, eoque minus contagiosum ideo declarare non dubitat, quod, praeter ea, quae contra indolem eorundem contagiosam et essentialem ab eximio *Frank* relata sunt, cuilibet febri adsociari solent; quodve ipsis exanthe-

matibus essentialibus variolae, scarlatinae, purpurae typhosae, vel morbillis parasitice adhaerent.

Doct. *Pollinius* in scientiarum Republica jam notus epistolam nuper de morbo miliari epidemice Veronae grassante typis consignavit. Is, postquam eleganti calamo historiam morbi delineavit, causas ejusdem quaerens a contagio nasci — quo aliunde propagari se in suo tirocinio medico jam olim suasum fatetur — nunc negat. Doctor *Pollinius* quamquam pluries observavit, uno febri miliari adfecto individuo, alios ejusdem familiae eodem morbo inde aegrotare, se tamen induci, ut contagiosam morbi naturam admittat, non sinit, quia saepissime vidit maritos cum uxoribus, aut viceversa istos cum illis miliariis infectis impune decumbere, ipsumque infantem a matre morbo laborante lac sugere, quin eum contraxerit, quia tandem ipse, licet per plures jam annos miliaris correptos diu noctuque visit, eorumque brachia, pectus, et dorsum, absque ulla circumspectione tangit, a morbo tamen semper immunis fuit.

Miasmate contagioso specifico, utpote miliarium causa, rejecto, aliae quaerendae erant prophases. Quamvis ad meum propositum id non spectet, breviter tamen, et veluti per transennam adnotabo, alios, ut *Stollium*, saburram acidam, putridam, biliosam, pituitosam criminatos esse; aliis insolitam transpirationis cutaneae acrimo-

nam. unde cutis irritata cuticulam in vesiculas elavat, quemadmodum *Hamiltonio*, *Hildenbrandio*, et *Pollinio* conjecturae placuit. Quapropter maximam ii auctores analogiam cernunt inter miliaria, atque sudamina, et hydroa aestiva. Fuerunt quibus miliaria incongruae morborum acutorum therapiae productum artificiale visa sunt, intempestivi nimirum diaphoreticorum, alexipharmacorum, et stimulantium usus, aut saburrae gastricae evacuationis neglectus. Hoc respectu Summus *Sydenhamus* sic effatur: *miliares eruptiones, licet sponte sua non nunquam ingruant, saepius tamen lecti calore, et remediis cardiacis extorquentur.* Nec aliter sensit Vindobonensis Clinicus: *Exanthemata miliaria rarius contigisse observavi, remisso regimine calidiori, adfuisse e contra in morbis febrilibus, quum calidum regimen errore aut vulgi aut medicorum mutare non potui...,. et in Viennensi Nosocomio cum libere antiphlogisticam methodum adhibere possumus, vix unquam sive in vigore morborum, sive in fine miliaria observavimus.* Ipsum *Fr. Hildenbrandium.* ab *Sydenhamii*, *Haenii*, et *Stollii* opinione, qui ex abusu remediorum calidorum, alexipharmacorum, et nimio lecti calore miliarium expulsionem in acutis repetunt, nihil alienum testantur sequentia ejus verba: *vigebat olim prodigiosa opinio... febrium solutionem aliter obtineri nequire, nisi sudoribus diffluant aegri, quos calida, imo*

fervida medendi methodo, potubus calidissimis, remediis stimulantibus, et alexipharmacis, stragulisque onerosis extricare non piguit: inde majorem exanthematum hincque etiam miliarium crebritatem, secula in primis praeterito, nemo mirabitur. Adcuratior vero hodierno aevo morborum cognitio ... diligens physiologiae et pathologiae cultus, et quae inde fluit, rationalis therapiae perfectio, suam procul dubio contulerunt symbolam, ut exanthematum natura, et essentia clarius innotuerint, integra exanthomatologia majorem consequentiae et simplicitatis gradum adtigerit, et ut ipsa miliaria (toties factitia) inter rariora pertineat phaenomena!!!

Omnibus, quantum licuit, rationibus in medium prolatis, quibus Auctores supralaudati characterem miliarium essentialem, primarium, nec non genium contagiosum refellere adnisi sunt, contraria contrarium tuentium medicorum observata et ratiocinia subjungenda mox venient. Characterem primarium essentialem, et autocraticum febris miliaris utpote morbi — a communibus manifestis causis minime oriundi — propriis symptomatibus praediti — decursum sibi proprium habentis, licet pluribus accidentalibus modificationibus, et complicationibus obnoxium, extra omnem controversiam ponunt hystoriae a viris traditae omni fide dignis, quorum auctoritatem, et artis medicae peritiam in dubium vocare turpe esset.

Hujuscemodi sunt Fr. *Beretta*, *Fantonus*, *Velschius*, *Baraldus*, *Allionius*, *Molinarius*, *Castellerus*, *De Augustinius*, *Burserius*, *Baldingerus*, *Fagiolius*, *Marianinius Ramatius*, *Speyerius*, *Bertaus*, aliique plures, quos brevitatis causa silentio praeterimus. Horum alii febrem miliarem epidemicam observarunt Lipsiae, Augustae Taurinorum, Corregii, alii Novariae, Fanii, Veronae, Bambergae etc. Neque in epidemia praesertim Novariensi, Veronensi, et Bambergensi ex abusu remediorum calidorum, alexipharmacorum, atque ex nimis onerosis stragulis eruptionem exanthematis miliaris in morbis febrilibus repetere licet, quibus causis *Sydenhamio*, *Haenio*, et *Stollio* suis temporibus, ut innuimus, eam tribuere placuit. Ipse doctor *Pollinius* contagiosam alioquin morbi miliaris indolem rejiciens, characterem essentialem, primitivum atque autonomum ejusdem febris admittere non cunctatur. *La migliare inoltre*, ille ait, *al pari del vajuolo, del morbillo, della scarlattina ha sintomi patognomonici, che la distinguono: e sono il sudor acido particolare e la forma dell' esantema; ha un tempo o periodo necessario da percorrere, cui non si può distruggere, nè interrompere, e notasi quindi in esso il periodo d' eruzione, di maturazione, e di squamazione* Quae cum ita sint morbum miliarem autocraticum primarium negare non poterit, nisi cui, vel eum nunquam observare licuit, vel

aliorum observationum aut inscitia perfecta, aut nulla fides est.

Clinicus doctrina simul, ingenii acumine, judicii acritate, medendi ac scribendi peritia summique candore merito celebratissimus Jo. B *Burserius* sibi propriis, aliorumque observatis miliarium contagionem omni dubio eripuisse videtur. De medico quodam primum refert, qui cum apud aegrum sibi amicissum quadam die esset, eique manus adjutrices admoveret, ut perfectius sudorem, quo madebat, abstergeret, parum sollicitus an noxium vaporem undique erumpentem hauriret, paullo post a morbo correptus fuit, eoque vita privatus De alio medico deinde narrat, quem morbo miliari correptum vidit Is cum ad feminam eodem sporadico affectu laborantem vocatus esset, et incaute nimis atque inconsiderate, ut exanthemata in pectore exorta inspiceret, diutius quam oportebat se ejus halitui, atque expirationi objecisset, dum optime alioquin valebat, sine alia causa in eundem morbum incidit. Praeter hos bini alii febris miliaris per contactum ab infectis in sanos luculenter propagatae casus, a castissimo hoc Auctore traduntur, quos in aureo ejus opere quivis legere poterit.

In epidemia Lipsiensi, Taurinensi, et in ea, quae anno 1776 Corregii fuit nullum medicis superesse dubium de diffusione morbi ab aegris in sanos, ab una ad alias gentes per advenas trans-

lati. *Contagiosa ejus* (miliaris morbi) *miasmata non ab aere simpliciter, sed ab iis, qui in morbosa regione venenum contraxerant ad alia loca perlata accuratior observatio docuit.* — *Allionius*.

In Epidemica Novariensi constitutione anni 1775, de qua *De Augustinius* agit, contagione morbum divulgari confirmatum fuit.

Doctor *Marianinus* ortum morbi miliari a contagio adeo sibi suasum habuit, ut identicum hoc putaverit cum miasmate purpuram typhosam generante.

En quod in Epidemia febris miliaris anno 1817 Novarae grassatae meritissimus doct. *Ramati* a se observatum relate ad morbi causam refert sine partium studio: *Non mostrossi per verità la migliare presso noi sì comunicabile, come lo petecchia. Non pochi furono infatti gli individui che impunemente poterono praticare cogli infetti d'una tal malattia. Ma varj furono pur quelli, che contemporaneamente e successivamente ne infermarono in seno alla famiglia. Varj ne furono colti, che l' urbanità o il dovere avea tratti d' intorno a chi di tal morbo giaceasi afflitto; e non solo lo contrasse, ma vi dovette sventuratamente soccombere uno dei medici di questa città, che avea con impareggiabile zelo curati molti di quelli che al suo primo apparire ne furono colti.*

Febrim miliarem, quae epidemice anno 1820 Bambergae urbem vexavit per contagium ab aegris

sanis communicari *Speyerus* omnino compertum habuit. Etenim ubi domum aliquam morbus ingrediebatur ferme cuncta individua in ea cohabitantia accessive plectere solebat.

Indubia contagionis argumenta porro collegit, evulgavitque doct. *Fagiolus* relate ad morbum miliarem Veronensem, cui praecipuos morborum contagiosorum febrilium characteres competere ultro probavit.

Alius medicus Veronensis doct. nimirum *Berti* indolem febris miliaris contagiosam viriliter nuper tutus est, uti videre est in primo volumine Polygraphi Veronensis. Quod si aliqui contagii actionem, cui suscipiendae se se exponunt, saepe eludunt, id neutiquam contagii absentiam, sed minorem tantum ejusdem vim relate ad alia contagia probare defendit; quare in contagiorum volatilium serie, quoad virtutis inficientis gradum, miasmati miliari infimum locum assiguare is auctor vellet.

Sicuti autem potentia contagiorum morbifica, ut reliquarum prophasium morbosarum, absoluta non est, sed relativa, talis nempe, quae organismi dispositionem ad eorundem suscipiendam actionem requirit, ex hoc inde sequitur, quod, quo altior est potentiae gradus in contagio, minor postuletur ex parte organismi dipositio, et vice versa, ut illius actio locum habeat. Miliaris ergo fomes inter cetera contagia minima vi pollens,

maximam poscit organismi dispositionem, ut auam valeat evolvere actionem At maxima hujusmodi dispositio, sicuti rarius occurrit, ita difficiliorem, et minus conspicuam reddit miliarium propagationem per contactum, nisi peculiaris epidemicae constitutionis genius requisitam in organismis plurimis idiosyncrasiam creans, contrarium jubeat.

Post quae hucusque dicta sunt, nemo certe erit, qui non videat, parvi admodum facienda esse argumenta, quibus doct. *Pollinus* sententiam medicis et vulgo Veronensibus contrariam tuari inducitur. Praeterea si ipse adeo felix fuit, ut a morbo miliari hucusque immunis manserit, licet ejusdem suscipiendo contagio se toties exposuerit, ita fortunatus eheu! non erat, referente *Ramati*, doct. *Grazianetti* qui in epidemia Novariensi auxilium medicum aegris sollicitus ferens, morbum contraxit, eoque periit. Puella *Signoroni*, de qua doct. *Pollini* refert, febri correptam fuisse paullo post quam indusium sororis, miliaris adfectae, audore adhuc madidum ex errore sibi imposuerat, aliud forsan argumentum praebet, contra quod auctor putat, ut contagiosa miliaria habeamus; etenim febris illa cursum nonnullorum dierum absolvere debuit. Nec quia exanthemate miliari caruit, suscepio suscepti miasmatis, et ortus morbi ab eo excludi omnino potest, siquidem quoque cetera contagia volatilia organismum adficere, et febrim characteristicis suis symptomatibus ocmi-

tatam quandoque gignere, quin proprium evolvant in cute exanthema, observationes in pluribus epidemiis habitae, et sermo apud practicos valda obvius de febri *morbillosa* sine morbillis, de *variolosa* sine variolis, de *petecchiali* seu *typhosa* sine peticulis satis probare videntur.

Ceterum minime necessarium est, ut morbus aliquis contagiosus judicetur — quemadmodum doct. *Pollini* contendere videretur — omnes ab eo corripi, qui cum adfectis commercium habeat. Nimis inter medicos vulgatum est, peculiarem organismi individui dispositionem ad hoc requiri, qua absente, vel repugnante contagiorum vis relativa nulla redditur. In diversis porro Epidemiis non eadem cernitur in eodem contagio potentia se diffundendi, quod vel a diverso pendet virulentiae gradu, quem circumstantiae faventes, aut adversae ei tribuunt, vel a communi quadam individuorum dispositione oritur, quae contagii actioni modo obsecundat, mox vero plus minusve resistit. Nisi res ita se haberet, id intelligere sane nesciremus, cur idem morbus miliaris non ita facile ab uno in alia individua apud nos et Veronae contactu propagandus, tam facili econtra negotio ab aegrotis in sanos transfundebatur in Epidemia Novariensi, quam *Ramati*, et in Bambergensi, quam *Speyer* narrarunt.

At quod litem obtruncare, et miliarium contagem sub meridiana luce ponere vidatur, est casus

a carissimo Doct. *Casoratti* in sermocinationibus familiariter cum eo de miliariis habitis mihi communicatus, et omnibus veritatis testimoniis ab eodem aliquando evulgandus Is, dum virum quadragenarium febri miliari decumbentem visebat, cui abundans erat exanthema, sudorque uberrimus tam anxie rogatur, quo alii vicino aegrotanti dira colica excruciato illico succurrat, ut, contra quod solebat, manibus a contrectatione illius aegroti adhuc pollutis, ad hunc advolet; qui opportunis adhibitis auxiliis, cito sanatur. Vix transacta ab hoc tempore hebdomada, iternoi apud hunc hominem, se scabie infectum vereri tem, vocatur At hujus caedemtatis loco universum brachium dexterum, et sinistri inferiorem partem confluentibus, prurientibusque vesiculis miliaris referta inveniebat Notandum est ni brachio sinistro pulsum tantum illum tetigisse, in dextero autem phlebotomiam quoque instituisse; hinc non inferiori tantum parti, ut in sinistro, sed toti brachio manus admovisse. Tetigit, palpavitque etiam abdomen, sed indusio tectum; unde probabillime nulla super hoc vesicularum eruptio. — In hoc casu nullum superest dubium, contactu, ne insitione dicam, morbum propagatum fuisse. Nec quidquam huic obstat conclusioni, quod praeter localem exanthematis eruptionem nulla alia symptomata aeger expertus est; etenim si ipsa variolae insitio sub organismi dispositionem

suae actioni adversam praeter topicam pustularum evolutionem nullum alium symptomatum adparatum quandoque excitat, quemadmodum certissime constat, quid mirum si fomes miliaris, illa longe mitior, idem praestat?

Quae primorum essentialem miliarium characterem, eorumque a fomite contagioso ortum probare videntur, tradita, nonnullas mox addere non piget animadversiones, quasdam adversariorum objectiones infirmantes; quam autem experientia, et phaenomenorum analogia excitarunt opinio, plura et inter se differentia, pro uno vero eodemque hucusque considerata, objecta separans, et in suam sedem rejiciens; vigentem hinc inter medicorum observationes et placita, ni magnopere fallimur, oppositionem tollens, postremo et paucis exponetur.

Tempus indeterminatum quo exanthema miliare erumpit, et disparet, proteiformis totius morbi adspectus, et iterata ejusdem exanthematis evolutio in eodem individuo, totidem, ut jam vidimus, argumenta visa sunt contagiosae miliarium naturae contraria, utpote quae, notis contagiorum volatilium legibus adversantur — leges, quibus contagiorum specificorum febrilium effectus respondere novimus nemo adhuc tam unicas et invariabiles ostendit, ut nullam admittere queant deflexionem, modificationemque Variolam, purpuram typhosam, pestem plures idem individuum aggredi, res est

inter medicos et non medicos penitus confirmata; nemo tamen indolem illorum morborum contagiosam in dubium ideo vocare autumavit. Neque haec ipsa exanthemata contagiosa adeo fixum habent eruptionis et durationis tempus, ut anomalias frequentes utroque respectu, et ratione decursus minime patiantur. Variolae, scarlatinae purpurae typhosae, morbillorum etc. anomalorum historiae, in quovis tractatu medico-practico obviae, id perbelle testantur.

Neque miasmatum contagiosorum in animalium organismo phaenomena tantum, sed illae quoque naturae operationes, quae maxime fixis, et determinatis legibus peragi videntur, variationes, anomalias, et a consueto typo aberrationes admittere coguntur. Gestationis periodus a consueta non raro abludens, generatio monstrorum, variantes tempestatum circuitus, planetarumque circumvolutiones id continuo evincunt.

Inconstantia porro decursus, tempusque eruptionis indeterminatum in miliaris minus forsan admittendae indoli eorundem contagiosae essentiali obstare videbuntur, cum considerabimus, fomitem miliarem, docente experientia, plus quam ceteri fomites contagiosi, partes organismi centrales, systema in primis membranarum profundius et primitus afficere, ibique irritationem, ipsamque phlogosim non raro incendere: quae adfectiones quo graviores sunt, et organa nobiliora occupant eo

validius et diutius, ob notas antagonismi vitalis leges, actionem miasmatis in corporis peripheriam — quae primariam contagii actionem in organa centralia constanter sequi solet — impedire et retardare valebunt. Quod adeo verum est, ut quo citius exanthema miliare apparet, eo minus generatim perniciale sit morbus, et magis immunes ab irritante fomitis actione internae partes servari soleant.

Doct. *Pollinius* miasma contagiosum, ut jam vidimus, qua morbi miliaris causam rejiciens, majorem secretionis cutaneae acrimoniam cum *Hamiltonio* insimulare inclinat, qua abnormi humoris transpirati acrimonia cutis irritata, aut inflammata in vesiculas cuticulam tollit. Quapropter maximam analogiam, quoad causam, inter miliaria, atque sudamina, et hydroa auctorum ille agnoscit. Nexus organicus porro, qui inter cutim et reliquum systema membranarum viget, id efficit, juxta Cl. Auctorem, ut inflammatio cutis in morbo miliari alias membranarum, mox mucosarum, mox, quod frequentius, serosarum sphaeras in compassionem trahat: unde multiplex aegritudinis forma, febris catarrhalis, gastricae, biliosae, pneumonitidis, febris rheumaticae, nervosae etc., ejusque pericula pendent. At quomodo auctorem hunc effugere potuit, talem ipsum phaenomen assignasse causam, quam suus plerumque praecederet effectus? Etenim observatio Clinica

continuo docet, symptomata irritationis, vel phlogoseos membranarum capitis, thoracis, vel imi ventris in febre miliari, exanthematis adparitionem dies plures, imo hebdomadas saepissime praecurrere. Non negamus quandoque morbosas in internis partibus reactiones in hac aegritudine, ut in reliquis morbis exanthematicis gigni ex suppresso pathologico cutis processu. Sed ubi cutis nulla exanthematici processus indicia adhuc obtulit, et internarum irritationum vel phlogosium symptomata jam emicant, quanto magis rationi, et experientiae consentaneum non erit, morbosas illas reactiones a primitiva irritante miasmatis miliaris actione in organa centralia, quam a cutis inflammatione, quae nondum existit, repetere? Hoc intuitu fomes miliaris aliud offert analogiae punctum cum reliquis contagiis volatilibus, quorum actio, antequam ad peripheriam corporis determinetur — exanthematis productione — in partes centrales exerceri solet, unde irritationis, eruptionis stadium constanter praecedens, periodus oritur in morbis exanthematicis contagiosis.

At quia existentiam defendimus miasmatis miliaris contagiosi, hinc exanthematis seu febris miliaris primitivae autonomiae, minime idcirco negamus, exanthema dari miliare secundarium, et mere symptomaticum aliorum morborum Miliaris, quae in decursu variolae, purpurae typhosae, pestis etc. erumpunt, symptomatica et secunda-

ria illorum morborum habenda sunt. Itidem quis miasmati contagioso specifico miliaria tribuet, quae cum paroxismis febrium intermittentium erumpunt, atque dilabantur, et ab eo, quo paroxismus febrilis, remedio se fugari sinunt, et quae nimiae Arsenici, et Hydrargyri in organismum actioni, vel fluoris albi muliebris, ut *Frank* observavit, suppressioni debentur? At objicitur, amphibiam nos admittere morbi naturam, contagiosam videlicet, et non contagiosam. Id absurdum nos minime defendere Lectori patebit, ubi animadvertat, rationi neutiquam repugnare, imo experientia suaderi, bina dari exanthemata miliaria, quoad externam formam utique simillima, quo ad causam vero toto coelo differentia: alterum a fomite specifico contagioso oriundum, instar variolae, morbillorum, scarlatinae etc. alterum aliis causis communibus, peculiari modo cutim irritantibus, vel ejus secretionem singulari ratione mutantibus tribuendum, ut in febribus gastricis, biliosis, exanthematicis, intermittentibus, in hydrope, in hydrargirosi etc. evenire verisimillimum est. Omnis ergo inter utrumque exanthema analogia ad externam formam spectat, neque id uni exanthemati miliari privum, siquidem quoties maculae et papulae scarlatinam, purpuram typhosam, aut morbillos aemulantes puerorum, foeminarumque aestivo praesertim tempore cutem foedant, non a miasmate contagioso sed a topica

cutia irritatione genitaa? Quem latet ab externa tartari emetici adplicatione pustulas in cute prodire variolis per quam simillimae? Quod ergo relate ad alia exanthemata conceditur, ut modo miasmatis specifici contagiosi sobolem sistant, mox vero a manifestis, vulgaribusque causis topice in cutem agentibus enascantur, vel aliis morbis symptomaticum famulitium gerant, id solis miliariis denegabitur?

Duplex hujusmodi miliarium origo adeo in rerum natura est, ut ipse castigatissimus Frank, nisi explicite, implicite saltem eam indicaverit. Etenim dum contagiosam miliaris epidemicis naturam negare nescit, negat vero sporadicis a saburra gastrica, verminosa, ab arsenico, a mercurio, a suppresso fluore albo foeminarum etc. oriundis, non ne duo, quo ad origiem diversa exanthemata miliaria admittit?

Si duplex hoc miliarium genus comprobare valuimus, quaevis etiam hac super re oppositio inter Medicorum observationes dissipari, omnesque eorundem controversiae rescindi debebunt.

FINIS.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Cholerae pestilentialis, quantum observationes deponunt, conditio pathologica primitiva semper fistulae gastro-entericae irritatio est.

II.

Phthyseos diagnosis a simplici alteratae secretionis adspectu male eruertur.

III.

Diagnostica stethoscopii et plessimetri utilitas in pluribus morbis maxima.

IV.

Duplex miliarium genus.

V.

Intestinorum sordes non uti causa, sed effectus potius gastricarum febrium sunt considerandae.

VI.

Dantur febres miasmatico-contagiosae absque exanthemate, et versa vice.